

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Sancti Gregorii Moralis Expositionis In Beatum Job Liber Vigesimvsprimvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](#)

SANCTI GREGORII
MORALIS EXPOSITIONIS
IN BEATVM JOB
LIBER VIGESIMVS PRIMVS.

*Quid sit quod Jacob virgas populeas & amygdalinas
decoricavit, & in canibus, in quibus
greges bibebant posuit.*

CAPUT PRIMUM.

JNTELLECTUS faci eloquij inter textum & mysterium tanta est libratione pensandus, ut utriusque partis lance moderata, hunc neque nimis discussionis pondus deprimat, neque rursum corporis incuriae vacuum relinquat. Multæ quippe ejus sententiae tanta allegoriarum conceptione sunt graviæ, ut quicquid eas ad solam tenere historiam nititur, earum notitiam per suam incuriam privetur. Nonnullæ vero ita exterioribus præceptis inserviunt, ut si quis eas subtilius penetrare desiderat, intus quidem nihil inveniat, sed hoc sibi etiam quod foris loquuntur abscondat. Unde bene quoque narratio-
Gen. 30 ne historica per significationem dicitur: *Tollens Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decoricavit eas, detractisque corticibus, in his que ex parte fuerant, candor apparet: illa vero que integra erant, virides permane- runt, atque in hunc modum color effectus est varius.* Ubi & subditur: *Posuitque eas in canibus, in quibus effundebatur aqua; ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in asperitu earum conciperent. Factumque est ut in ipso calore coitus oves intuerentur virgas, & parerent maculas & varias, & diverso colore resperfas.* Quid est enim virgas virides, amygdalinas, atque ex platanis ante gregum oculos ponere, nisi per Scripturam sacre seriem, antiquorum patrum vitas atque sententias in exemplum populis præbere? Quæ nimis quia juxta rationis examen rectæ sunt, virgæ nominantur. Quibus ex parte corticem subtrahit, ut in his quæ expoliantur, intimus candor appareat: & ex parte corticem servat, ut sicut fuerant exteriori, in viriditate permaneant: variusque virgarum color efficitur, dum cortex ex parte subtrahitur, ex parte retinetur. Ante considerationis enim nostra oculos præcedentium patrum sententia quasi virgæ varia ponuntur. In quibus dum plerumque intellectum litteræ fugimus, quasi corticem subtrahimus: & dum plerumque intellectum litteræ sequimur, quasi corticem reservamus. Dumque ab ipsius cortex litteræ subducitur, allegoriae candor interior demonstratur: & dum cortex relinquitur, exterioris intelligentiae virentia exempla monstran-

A tur. Quas bene Jacob in aquæ canalibus posuit, quia & Redemptor noster in libris eas sacræ scientiæ, quibus non intrinsecus infundimur, fixit. Has aspicientes arietes cum ovibus coeunt: quia rationales nostri spiritus, dum in earum intentione defixi sunt, singulis quibusque actionibus permiscuntur, ut tales fetus operum procreent, qualia exempla præcedentia in vocibus præceptorum vident; & diversum colorem proles boni operis habeat: quia & nonnumquam subtraet litteræ cortice, acutius interna considerat, & reservato nonnumquam-historia regmine, bene se in exterioribus format. Nam quia divina sententiae aliquando interius rimandæ sunt, aliquando exteriori observandæ, per Salomonem quoque dicitur: *Qui fortiter premis presu. ubera ad elicendum lac, exprimit butyrum; & qui pro. vehementer emungit, elicit sanguinem.* Ubera quippe fortiter premimus, cum verba sacri eloquij subtili intellectu pensamus; qua pressione dum lac quærimus, butyrum invenimus: quia dum nutriti vel tenui intellectu quærimus, ubertate interna pinguedinis ungimur. Quod tamen nec nimis nec semper agendum est: ne dum lac queritur ab ube-ribus, sanguis sequatur. Plerumque etenim quidam dum verba sacri eloquij plus quam debent discutiunt, in carnalem intellectum cadunt. Sanguinem quippe elicit, qui vehementer emungit: quia carnale efficitur hoc, quod ex nimia spiritus discussione sentitur. Unde necesse est, ut beati Job opera, quæ inter increpantium amicorum verba idcirco narrat, ne afflita mens illius in desperatione deficiat, iuxta pondus historie perscrutemur: ne si haec animus plusquam necesse est spiritualiter investigetur, à verborum ejus ubeibus sanguis nobis pro lacte respondeat. Si quando vero quædam mystica in suorum operum narratione permiserit, ad hæc necesse est ut mens concita redeat, ad quæ hanc ipse, ut datur intelligi, ordo loquentis vocat. Nam sanctus vir postquam ea quæ sibi per flagellum Domini fuerant inflicta, narravit, nunc per ordinem proprias enumerando virtutes, qualis ante flagellum fuerit, innotescit: sic vita lux historiam texens, ut ei perrarum aliquid, quod allegoricè intelligi possit, interferat: quatenus & ex magna parte historica sint quæ memorat, & tamen aliquando per hæc eadem ad spiritalem intelligentiam consurgat. Ita itaque fortitudine ab omni lapsu exteriora sua custodia interioris disciplina constringerit, insinuat dicens.

A.P. **XXXI.** **P**epigi fadus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim par tem haberer in me Deus desperat, & hereditatem omnipotens de excelsum? Numquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus iniquitatem? Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat? Si ambulavi in vanitate, & festinavit in dolo pes meus: appendat me in statera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam. Si bus meis adhæsit macula: seram, & alius comedat, & progenies mea eradiceretur.

Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium inimici mei insidiatus sum: seorsum alterius sit uxor mea, & super illam incurvantur alijs. Hoc enim nefas est, & iniurias maxima: ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina. Si contempti subire iudicium cum seruo meo & ancilla mea, cum disceperant adversum me. Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quiescerit, quid respondebo illi? Numquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est, & formavit in vulva unus? Si negavi quod volabant pauperibus, & oculos vidue expectare feci: Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea: (Quia ab infancia mea crevit mecum miseratione, & de utero matris meae egressa est mecum.) Si despexi praterem, eo quod non habuerit indumentum, & absque ope rimento pauperem: si non benedixerunt mihi latera eius, & de velteribus ovium mearum calefactus est: Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiori: humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum ossibus suis conteratur. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui. Si putavi aurum robur meum, & obryzo dixi, fiducia mea. Si letatus sum super multis divitias meis, & quia plurima reperit manus mea. Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clare: & latatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo: qua est iniurias maxima, & negatio contra Deum altissimum. Si gavisus sum ad ruinam eius qui me oderat, & exultavi quod invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam eius. Si non dixerunt viri tabernaculi mei, Quis det de carnibus eius, ut saturemur? Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celavi in finu meo iniuriam meam. Si expavi ad multitudinem nimiam, & desuetudo propinquorum terruit me: & non magis tacui, nec egressus sum ostium. Quis mihi tribuat adiutorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens: & librum scribat ipse qui iudicat, ut in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, & quasi principi offeram eum. Si adversum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius desent: si fructus eius comedи absque pecunia, & animam agricolarum eius afflxi: pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina. Finita sunt verba Iob.

Quod servi Dei non solum ad munditiam carnis, sed etiam ex proposito & pacto ad puritatem cordis operam dare debeant.

CAPUT II.

PEpigi fædus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.] Cum sit invisibilis anima, nequam corporarum rerum delectione tangitur, nisi quod inhaerens corpori, quasi quadam egrediendi foramina ejusdem corporis sensus habet. Vitis quippe, auditus, gustus, odoratus, & tactus, quasi quedam via mentis sunt, quibus foras veniat, & ea qua extra ejus sunt substantiam, concupiscat. Per hos etenim corporis sensus quasi per fenestras quasdam exteriora queque anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc etenim Hieremias ait: Hier. 9, f Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras. Mors quippe per fenestras ascendit, & dominum ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens, habitaculum intrat mentis. Quo contra, hoc quod jam saepe dimisus de justis, per Esaiam dicitur: Qui sunt hi, qui ut nubes volant, & quasi columba ad fenestras suas? Justi namque volare ut nubes dicti sunt, quia à terrenis contagis sublevantur: & quasi columba ad fenestras suas sunt, quia per sensus corporis exteriora quaque intentione non respiciunt rapacitatem, eosque foras non rapit concupiscentia carnalis. Quisquis vero per has corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectionem peccati, etiam nolens cadit; atque obligatus desiderijs, incipit velle quod noluit. Praecepit quippe anima dum ante non providerit, ne incaute videat quod concupiscat, cæca post incipit desiderare quod vidit. Unde & Prophete mens, quæ sublevata saepe mysterijs internis intererat, quia alienam conjugem incaute vidit, obtenebrata postmodum sibi metu illicite conjunxit. Sanctus autem vir, qui acceptis corporis sensibus velut subjectis ministris quidam æquissimus judex praefest, culpas conspicit antequam veniant, & velut insidianti morti fenestras corporis claudit, dicens: [Pepigi fædus cum

A oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.] Ut enim cogitationes cordis castè servare potuissent, fædus cum oculis pepigit, ne prius incaute aspiceret, quod postmodum invitum amaret. Valde namque est grave, quod caro deorsum trahit; & semel species formæ cordi per oculos illigata, vix magni luxam manu solvitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est; quia intueri non decet, quod non licet concupisci. Ut enim munda mens in cogitatione servetur, à lascivia voluptatis sue deprimendi sunt oculi, quasi quædam raptores ad cuiusdam. Neque enim Eva lignum vetum contigisset, nisi hoc prius incaute respiceret. Scriptum quippe est: Vidi mulier quod bonum esset lignum ad descendendum, & pulchrum oculis, asperique delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit. Hinc ergo pensandum est, quanto debeamus moderamne erga illicita vitem restrin gere nos qui mortaliter vivimus, si & mater viventium per oculos ad mortem venit. Hinc etiam sub Judæo voce, quæ exteriora video concupiscentis, bona interiora perdidit, Propheta dicit: *Oculus meus deprendatus est Thren. animam meam.* Concupiscentio enim visibilia, invisibilis virtutes amisit. Quæ ergo interiorum fructum per exteriorum visum perdidit, per oculum corporis periret prædam cordis. Unde nobis ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum quoque sensuum disciplina servanda est. Nam quantalibet

Cvirtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddam exterioris perstrepunt; & nisi interioris gravitatis pondere, & quasi juvenili quodam vigore refrænentur, ad fluxa quæque & levia mentem enervem trahunt. Videamus igitur quomodo beatus Job id quod in eo fluxum ac puerile caro sapere potuit, juvenili sapientia vigore restrinxit. Ait enim: [Pepigi fædus cum oculis meis.] Et quia non in se actionem tantummodo, sed & cogitationem luxurie extinxit, secutus adjunxit: [Vt ne cogitarem quidem de virgine.] Sciebat nimis luxuriam esse in corde refranandam, sciebat per sancti Spiritus donum, quod Redemptor noster veniens, legis præcepta transcenderet, & ab electis

Gen. 3, d
1dem
supra
lib. 5.
cap. 22.

suis non solum luxuriam carnis, sed etiam cordis A
aboleret, dicens: *Scriptum est: Non adulterabis: ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam machatus est eam in corde suo.* Per Moysen quippe luxuria perpetrata, per auctorem vero munditia, luxuria cogitata damnatur. Hinc est enim quod discipulis primus Ecclesia pastor dicit: *Propter quod succincti lumbos mentis vestrae, sobrij perfecte sperate in eam, que offeretur vobis, gratiam.* Lumbos enim carnis succingere, est luxuriam ab effectu refranare. Lumbos verò mentis succingere, est hanc etiam à cogitatione restringere. Hinc est, quod Angelus, qui Ioannem alloquitur, zonā aureā super mamillas cinctus esse perhibetur. Quia enim Testamento novi munditiae etiam cordis luxuriam frēnat, Angelus qui in eo apparuit, in pectore cinctus venit. Quem bene zona aurea stringit: quia quisquis supermā patria civis est, non jam timore supplicij, sed amore charitatis immunditiae deserit. Malum vero luxuriae aut cogitatione perpetratur, aut opere. Callidus namque adversarius noster cum ab effectu operis expellitur, secreta polluere cogitationis militur. Unde & serpentē à Domino dicitur: *Pectore & ventre repes.* Serpens videlicet ventre repit, quando hostis lubricus per humana membra subimet subdit, usque ad expletionem operis luxuriam exercet. Serpens autem repit pectore, quando eos, quos in opere luxuriae non valer, polluit in cogitatione. Alius itaque luxuriam jam perpetrat actione, huic serpens repit ex ventre. Alius autem perpetrandam veritatē mente, huic serpens repit ex pectore. Sed quia per cogitationem ad explenda opera pervenitur, rectē serpens prius pectore, & postmodum repere ventre describitur.

Quod virtutes invicem se compleantur, nec castitas sine humilitate, nec humilitas sine castitate aliquid valet.

CAPUT III.

VNDE beatus Job, quia disciplinam etiam in cogitatione tenuit, unā custodiā serpentis pectus ventremque superavit, dicens: [*Pepigi fodus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.*] Quam nimurū cordis munditiam quicquid adipisci non appetit, quid aliud quam ejusdem aī munditiae auctorem repellit? Unde & beatus Job protinus D subdit: [*Quam enim partem Deus haberet in me desper, & hereditatem Omnipotens de excelsum?*] Ac si aperte dicat: Si mentem in cogitatione polluero, ejus qui munditiae auctor est, esse hereditas nequam possum. Nulla enim bona sunt cetera, si occulti iudicis oculis castitatis testimonio non approbantur. Omnes quippe virtutes in conspectu conditoris vicaria ope se sublevant: ut quia una virtus sine alia vel nulla est omnino, vel minima, vicecum sua conjunctione fulciantur. Si enim vel castitatem humilitas deserat, vel humilitatem castitas relinquit, apud auctorem humilitas & munditiae prodesse quid praevalet vel superba castitas, vel humilitas inquinata? Sanctus igitur vir ut ab auctore suo in bonis reliquis possideri mereatur, cordis munditiam custodiens, dicit: [*Pepigi fodus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet Deus in me desper, & hereditatem Omnipotens de excelsum?*] Ac si aperte fateatur, dicens: Habere in me possessionem suam excelsorum conditor renuit, si mens mea ante conspectum illius in infinitis desideriis tabescit. Sed inter haec sciendum est, aliud esse quod animus de tentatione carnis patitur, aliud vero cum per consensum delectationibus obligatur. Plerumque enim cogitatione prava pulsat, sed renitit: plerumque autem cum perversum quid concipit, hoc intra semetipsum etiam per des-

derium voluit. Et nimurū mentem nequam cogitatio immunda inquinat, cum pulsat; sed cum hanc sibi per delectationem subjugat. Hinc etenim prædictor egregius dicit: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.* Humana quippe tentatio est, ^{1. Cor. 10. 6.} qua plerumque in turpi cogitatione tangimur etiam nolentes: quia ut nonnumquam & illicita ad animalium veniant, hoc utique in nobis metipis ex humilitatis corruptibilis pondere habemus. Jam vero dæmoniaca est, & non humana tentatio, cum ad hoc quod carnis corruptibilitas suggerit, per consensus se animus adstringit. Hinc iterum dicit: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Peccatum quippe in mortali corpore non esse, sed regnare prohibuit: quia in carne corruptibili non regnare potest, sed non esse non potest. Hoc ipsum namque ei de peccato tentari peccatum est, quo quia quādū vivimus, perfecte omnimodo non caremus. Sancta prædictio quoniam hoc expellere plenē non potuit, ei de nostri cordis habitaculo regnum tulit, ut appetitus illicitus etiā plerumque bonis nostris cogitationibus occulte se qualiter inserit, saltem si ingreditur, non dominetur. Vir igitur sanctus dicens: [*Pepigi fodus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.*] nequam vult intelligi, quia ejus animum culpa in cogitatione non contigit, sed quia numquam hunc ex consensu superavit. Nam velut integrissimam possessionem Dei, mentem suam contra adversarij de predationem vindicat, qui protinus adjungit: [*Quam enim partem haberet Deus in me desper, & hereditatem Omnipotens de excelsum?*] Ac si aperte dicat: Carne quidem mortali corruptionis conditioni subjaceo, sed auctori unde servio, si ei integrum à consensu culpae animum non defendo? Sequitur.

Quod justi dum temporaliter flagellantur, probantur: reprobi vero, qui in laboribus hominum modo non sunt, aeterno anathemate condemnantur.

CAPUT IV.

NVMQID non perditio est iniquo, & alienatio operarioribus iniquitatem? O quanta consolatio ægroris, & quantum meror sanis. Falsa consolatio bonorum, est considerari finis malorum. Dum enim ex eorum interitus malum conspicunt quod evadunt, leve existimant quidquid adversi in hac vita patiuntur. Eant ergo nunc reprobi, & delectationum suarum desideria compleant: in finis suis damnatione sensuri sunt, quia mortem male viventes amaverunt. Transitorio autem verbere affligantur electi, ut à pravitate flagella corrigan, quos paternae pietatis ad hereditatem servat. Nunc etenim flagellatur justus, & verbere disciplina corrigitur: quia ad æternā hereditatis patrimonium præparatur. In suis autem voluntatis relaxatur injustus, quia tandem ei temporalia bona suppetunt, quando æterna denegantur. Injustus ad debitam mortem currens, effrenatis voluntatis uititur; quia & vivi qui maestandi sunt, in liberis pastibus relinquentur. At contrà justus à delectationis transitoriae jucunditate restringitur, quia & nimurū vitulus ad laboris sicut vita deputatus, sub iugo retinetur. Negantur electi in hac vita bona terrena: quia & ægris, quibus spes vivendi est, nequam à medico cuncta quæ appetunt, conceduntur. Dantur autem reprobis bona, quæ in hac vita appetunt: quia & desperantes ægris omne quod desiderant, non negantur. Perpendant igitur justi quæ fint mala, quæ iniquos manent, & nequam eorum felicitati invideant, quæ percurrit. Quid est enim quod de eorum gaudijs admirarentur, quando & ipsi per iter asperum ad salutis patriam, & illi quasi per amœna prata ad foveam tendunt? Dicat ergo vir sanctus: [*Nunquid non perditio est iniquo, & alienatio*

*Dope-
nit. diff.
a.c. In-
ter hac.*

operantibus iniquitatem?] Quod videlicet aliena- A
tions verbum durius sonaret, si hoc interpres in
fus lingue vocu tenuisset. Quod enim apud nos
alienatio, hoc apud Hebraos anathema dicitur.
Tunc ergo alienatio erit reprobis, cum ab heredi-
tate districti judicis se anathema esse conspiciunt,
quia hic cum perversis moribus contemperant. Flo-
reant igitur iniqui, à flore eternae hereditatis alieni:
Justi vero semetiplos solerter inspiciant, & in cun-
dit actionibus suis à Domino se videri pertimescant.
Unde & aptè mox subditur: [Nonne ipse considerat
vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?]
Quid viarum nomine, nisi actions denunciat? Hinc
Hier. 7.
enim per Hieremiam dicitur: Bonas facite via ve-
stras & studia vestra. Quid verò gressum appellatio-
at. 4.
nisi vel motus mentium, vel profectus acci-
pimus meritum? Quibus profectus gressibus ad
Rom. 4.
semetipsum nos Veritas vocat, dicens: Venite adme-
vid.
omnes, qui laboratis, & onerati esis. Ad se quippe
5.
venire nos Dominus præcipit, nimirum non gressi-
Matth. 5.
bus corporis, sed profectibus cordis. Ipse namque
al.
interje-
ctionis.
ait: Veniet hora quando neque in monte hoc, neque in
Hierosolymis adorabitis Patrem. Et paulò post: Veri
adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate;
c.
nam & Pater tales querit, qui adorem eum. In corde
ergo esse gressus insinuat, quando & ut veniamus
*
vocat, & tamen motu corporis nequam nos ad
alia transire denunciat. Sic autem Dominus unius
cujusque
confidit,
ne minutissima
quidem cogitationes ejus judicio, ac
verba tenuissima,
qua apud nos usu viluerunt, in-
discussa remaneant. Hinc enim dicit: Qui irascitur
fratri suo, ren erit iudicio. Qui dixerit fratri suo, Ra-
cha, ren erit concilio. Qui dixerit, Fave, erit gehenna ignis. Racha quippe in Hebreo eloquio vox* indi-
gnantis est, qua quidem animum irascit ostendit, nec tamen plenum verbum iracundia exprimit. Prius ergo ira reprehenditur sine voce, postmodum verò ira cum voce, sed nequid pleno verbo forma- D
ta: ad extremum quoque cùm dicitur, Fatue, ira redargitur, qua cum excessu vocis expletur etiam perfectione sermonis. Et notandum, quòd in ira perhibet reum esse iudicio: in voce ite, quod est racha, reum concilio: in verbo vocis, quod est fatue, reum gehennæ ignis. Per gradus etenim culpe crevit ordo tentientis: quia in iudicio adhuc causa discutitur, in concilio autem jam cause sententia definitur: in gehenna verò ignis ea qua de concilio egreditur, sententia expletur. Quia igitur humanorum actuum Dominus subtili examine gressus enumerat, ira sine voce iudicio, ira in voce concilio, ira verò in voce atque sermone gehennæ ignibus mancipatur. Hanc subtilitatem considerationis ejus Propheta appexerat, cùm dicebat: Fortissime, magna, potens exercitum nomen tibi, magnus concilio, incomprehensibilis cogitatu, cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam: ui reddas unicuique secundum vias suas, & secundum fructum advenzionum manuum ejus. Sic easdem vias Dominus subtili examinatione considerat, ut in unoquoque nostrum nec ea qua remuneret bona prætereat, nec mala, qua videlicet displicent, sine increpatione derelinquit. Hinc est enim, quòd Angelum Ecclesiæ Pergami & in quibusdam laudat, & in quibusdam redarguit, dicens: Scio ubi habitas, ubi sedes est sa- Apoc. 2. d tana, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et paulò post: Sed habeo adversum te paucia, quia habes illici tenentes doctrinam Balaam. Hinc Angeli Thyatiræ dicitur: Novi opera tua, & charita- ibid. tem tuam, & fidem, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua novissima plura prioribus: sed habeo adversum te paucia, quia permittis mulierem Izabel, qua se dicit prophetam docere & seducere ser- vos meos, & fornicari, & manducare idolothyrum. Ecce bona memorat, nec tamen refecunda mala si-

A ne penitentia relaxat: quia scilicet sic singulorum vias considerat, sic gressus enumerans penat, ut subtili examine perpendat vel quantum quisque ad bona proficiat, vel quantum ad mala devians suis profectibus contradicat. Incrementum quippe meritorum, quod bonæ vitæ studijs augetur, plerumque mali admixtione retrahitur; & bonum quod animus operando construit, hoc alia perpetrando pervertit. Unde sancti viri tantò se subtilius in cogitatione constringunt, quantò à superno iudice districti considerari conspiciunt. Mentre quippe discutiunt, invenire si qua deliquerint querant, ut tantò fiant irreprehensibiles iudicii, quantò semetiplos quotidie & sine cessatione reprehendunt. Nec tamen hac de re jam gaudia securitatis sumunt: B quia ab illo se videri considerant, qui in eis & illa videt, que videre ipsi in semetiplos non valent. Et quidem beatus Job perfectionis vitam inter veteres tenuit: sed quia ejus intentio ad Redemptoris adventum propheticō spiritu erumpit in illius præceptis, penat ipse quam multa de perfectione minus habeat. Unde & subdit.

Quod sancti viri utrum amore an odio digni sint,
non satis intelligunt, sed revelari sibi à Deo utrum
simpliciter an aliter ambulent, humiliter posulant.

CAPUT V.

*S*I ambulavi in vanitate, & festinavīt in dolo pes meus: appendat me in statuera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam] Scire Deus dicitur, scire nos facere, usitato nostra locutionis modo, qui latum diem dicimus, ex quo contingit ut latemur. Hinc est enim quòd ad Abraham Dominus dicit: Nunc Gen. 22. cognovi, quòd timeas Deum. Neque enim creator temporum quidquam cognovit ex tempore; sed cognoscere ejus est, ex cuiuslibet causæ emergentis articulo nobis cognitionem præbere. Quis velò statuera nomine, nisi mediator Dei & hominum designatur? In quo equa lance omnia merita nostra penfantur, & in cuius præceptis agnoscimus, quid in nostra vita minus habeamus. In hac autem statuera appendimur, quoties ad vitæ ejus exempla provocamur. Hinc namque scriptum est: Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequentiæ vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est delus in ore ejus. Qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateteret, non communabatur. Hinc per Paulum dicitur: Per patientiam curramus Heb. 12: ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei, & consummatorem I sum, qui propositio sibi gaudio suscitavit crucem, confusione contempta. Ad hoc itaque Dominus apparuit in carne, ut humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet. Cùm ergo nulla in se beatus Job jure redarguenda reperit, ad excedentem omnia Redemptoris vitam mentis oculos tendit, ut in illa cognoscat ipse quid minus habeat, cùm dicit: [Si ambulavi in vanitate, & festinavīt in dolo pes meus: appendat me in statuera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam.] Ac si aperte dicat: Si qua umquam leviter, si qua perniciosa perpetravi, Dei & hominum mediator appareat, ut in ejus vita cognoscam, an ego veraciter simplex fuerim. Qui enim, ut diximus, suorum temporum viros excesserat, mediatorem Dei & hominum quæbat; ut in illo penfatus agnosceret, si vitam simplicem verè tenuisset. Dicat ergo: [Appendat me in statuera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam.] Quod est, scire me faciat. Ac si patenter fateatur, dicens: Quantum ad humanæ vite modum, nulla in me reprehendenda jam video: sed nisi mediator Dei & hominum cum subtilioris vite præceptis appareat, quantum adhuc à

vera simplicitate discrepem, non cognosco. Rectus vero ordo servatur, si prius in vanitate, & postmodum pes in dolo festinans dicatur. Vanitas quippe ad levitatem, dolus vero ad malitiam pertinet. Et nonnulli plerumque ad quedam post malitiosa perveniunt, quia prius levia non declinant. Sequitur: [Si declinavit gressus meus de via.] Totes gressus de via declinat, quoties nostra cogitatio iter rectitudinis per consensum relinquit erroris. Quasi vero tot gressus extra viam ponimus, quot perversis desideriis ab caelestis vita delectatione separamur. Ut enim prefati sumus, adhuc carnis corruptibilis pondere gravati, nequaquam valemus sic vivere, ut nulla nos possit culpa delectatio pulsare. Sed aliud est nolentem tangi, aliud consentientem animum perimi. Sancti autem viri tanto vigilanter se circumspectione custodiunt, quando le pul-
fari finitris moribus vel transitoria delectationis designantur. Unde & adhuc subditur.

Quanta sollicitudine Sancti cor suum custodian, & exteriora membra ab illicito tactu avertant.

CAPUT VI.

Si secutus est oculus meus cor meum.] Ecce iterum per interioris vigoris custodiam, ad exteriorum membrorum disciplinam redit: ut si quid fortasse cor illicitum concupisceret, pressus disciplina magisterio oculis videre recusat. Sicut enim saepe tentatio per oculos trahitur, sic nonnumquam concepta intrinsecus, compellit sibi extrinsecus oculos deserire. Nam plerumque res qualibet innocenter respicitur, sed ipso conspicuit animus concupiscentiae gladio confunditur. Non enim, ut exempli causa jam diximus, David Vix conjugem ideo studiosè respexit, quia concupierat, sed potius ideo concupivit, quia incaute respexit. Fit vero rectae retributionis examine, ut qui exteriori negligenter utitur, interiori oculo non injustè cecurit. Saepe autem intrinsecus concupiscentia dominatur, & illecebrosus animus ad usus suos sensus corporeos famulari, more tyrannidis exigit; siveque voluntatibus oculos servire compellit, atque, ut ita dicam, feneras luminis ad tenebras aperit cecitatis. Unde sancti viri cum finis pulsari delectatione se sentiunt, ipsa per qua formæ species ad mentem ingreditur, disciplina magisterio lumina restrinquit, ne prava D cognitione viro lenocinata famuletur. Quæ si umquam subtiliter custodiri negligitur, cognitionis immunditia protinus ad operationem transit. Unde & mox subditur.

Quod nisi festinè resistatur tentationi nascenti in corde, subito ita roboretur, ut ipsam mentem membrorum dominam teneat captivam.

CAPUT VII.

Et si in manibus meis adhesit macula.] Sanctus ergo vir sciens quod plerumque prava cogitatio per oculos veniat ad mentem, paulo superiorius dixit: [Pepigi fædus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virginie.] Perpendens etiam, quod nonnumquam in mente oritur, sed huic orbote oculi perversè famulantur, ait: [Si secutus est oculus meus cor meum.] Ac si aperte dicat: Nec passim videre volui quæ concupicerem, nec vidento umquam secutus sum quæ concupivi. Dicat ergo: [Si secutus est oculus meus cor meum:] quia & si quid umquam illicitum mens ejus, ut videlicet humana, concepit, altioris discipline magisterio constrictus, se per illicita darecere, sibiique famulari oculus noluit. Pensamus ad hac conscientias nostras, & quanti culminis vir iste fuerit, ex nostri cordis dejectione videamus. Ecce si qua illicita aliquando cogitavit; quia ea citius inter arcana cordis gladio sancti vigo-

A ris extinxit, pervenire illa usque ad opera non permisit. Unde ut præmisimus, illico subjungit. [Et si in manibus meis adhesit macula.] Quando enim macula in manibus, id est, culpa in actionibus inheret, quam censura disciplina non sinebat in cogitatione proficeret? Neque enim culpa ad opus prodire permittitur, si intus ubi nascitur, extinguitur. Si autem tentationi in corde nascenti festinè non resistitur, haec eadem, qua nutritur, mora roboretur; & existens foris in operibus, vinci vix prævaleat, quia ipsam intus membrorum dominam mente captivam tenet. Qui vero vir sanctus superiora omnia sub conditione intulit, si hæc unquam perpetraverit, sententia se maledictionis astringit, dicens.

Quod docto Ecclesia si aliter docet quam vivat, ipso jeuno, alius quod seminatum est comedat: & saepe quod gignit verbo, occidit exemplo: & de judicio Salomonis, in quo mulier quæ filium suffocaverat, ab ea, cuius filius vivebat, subtilissimo examine disincta est.

CAPUT VIII.

Seram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur.] More sacri eloqui ferere dicimus, verba vita praedicare. Hinc etenim Propheta ait: Beati qui essemus, ³² seminatis super omnes aquas. Sanctæ quippe Ecclesiæ predicatoræ super omnes aquas seminarie conspexit, quia cunctis latè populis verba vita, quasi caelestis panis grana, tradiderunt. Comedere autem, est bonis operibus satiari. Unde per semetipsam Veritas dicit: Mens cibus est, ut faciam voluntatem eius, ^{10an 4:6} qui misit me. Si ergo ea quæ protulit, facere prætermisit, ait: [Seram, & alius comedat.] Ac si aperte dicat: Quod os meum loquitur, non ego, sed alter operetur. Prædictor quippe, qui à suis vocibus, moribus discepit, jejunus scribit, quod alius manducet: quia suo femine ipse non pascitur, quando à verbis suis rectitudine prava actione vacuatur. Et quia plerumque discipuli incassum bona audiunt, cum ex magistri vita, operum exemplo destruantur, rectè subjungitur: [Et progenies mea eradicetur.] Doctoris enim progenies eradicatur, quando is qui per verbum nascitur, per exemplum necatur: quia quem lingua vigilans gignit, vita negligenter occidit. Neque enim torpenti nobis est mente transcendum, quod apud Salomonem mulier filium, quem vigilans lactare confluverat, dormiens intermit: quia ^{Reg.} nimis magistri vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos quos per vigilias prædicationis nutrunt, dum quod dicunt, facere negligunt, per somnum torporis occidunt, & negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur. Unde plerumque dum ipsi reprehensibili vivunt, & habere discipulos vita laudabilis nequeunt, & alienos sibi attrahere conantur: quantum dum bonos se habere sequaces ostendunt, apud judicia hominum excusent mala quæ agunt, & quasi per subditorum vitam, mortiferam tegant negligientiam. Unde illic mulier filium quia extinxit proprium, quæ sivit alienum. Sed tamen veram matrem Salomonis gladius invenit: quia videlicet cuius fructus vivat, vel cuius intereat, extremo examine ira districti judicis demonstrat. Ubi & illud est solerter intuendum, quod vivens filius prius dividi præcipitur, ut soli postmodum matri reddatur: quia in hac vita quasi parti conceditur vita discipuli, dum ex illa nonnumquam alter apud Deum meritum, alter vero apud homines laudem habere permittitur. Sed fallax mater cum quem non genuit, occidi non metuit: quia arrogantes magistri & charitatis ignari, si plenissimum nomen laudis ex alienis discipulis consequi nequeunt, corum vitam crudeliter insequuntur. Invidia enim face succens, nolunt alii vivere, quos se conspicunt non posse poscidere.

fider. Unde illic perversa mulier clamat: *Nec mens fit, nec istius.* Ut enim diximus, quos sibi obsequi non vident ad gloriam temporalem, eos aliis invident vivere per veritatem. Vera autem mater satagit, ut ejus filius saltem apud extraneam sit & vivat: quia concedunt veraces magistri, ut ex eorum discipulis, alii quidem magisterii laudem habeant, si tamen integritatem vite uidem discipuli non amittant. Per quæ pietatis viscera hec eadem vera mater agnosciunt, quia omne magisterium in examine charitatis approbat: & sola recuperetotum meruit, quæ quæ totum concessit: quia fidèles prepositi pro eo quodex bonis discipulis suis non solum aliis laudem non invident, sed utilitatem eis etiam profectus exorant, ipsi & integrōs & viventes filios recipiunt, quando in supremo examine ex eorum vita perseverent & retributionis gaudia consequuntur. Hac paucis per excessum diximus, ut auditorum progenies per doctorum negligientiam qualiter extinguitur, monstraremus: quia quisquis juxta hoc quod loquitur, non vivit; quos verbo genuit, à stabilitate rectitudinis opere evellit. Sed beatus Job, quos predicatione vigilans edidit, nequaquam actione dormiens extinxit, atque ideo fidenter dicit: Si quod minus prædicta complevi, [Seram, & alijs comedat, & progenies mea eradiceat.] Qui adhuc sc̄e iniquinatione pravi operis discutens, subdit.

Quod in sacro ordine constitutor, ita studiosa concupiscentia, sicut seculares adulterii inquinat culpa: & quod scelus luxuria omnia bona opera evacuat, & virtutum omnium plantaria eradicat.

C A P U T . I X.

*S*i deceptum est cor meum super muliere, & si ad os illum inimici mei infideli sunt.] Quamvis non unquam à reatu adulterii nequaquam discreper culpa fornicatiois, cum Veritas dicat: Qui videbit mulierem ad concupiscentium eam, jam mechaus est eam in corde suo. Quia enim Græco verbo mechaus, adulteri dicitur, cùm non aliena conjux, sed mulier videbit prohibetur, aperte Veritas ostendit, quia etiam solo visu cùm turpiter vel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur. Quod tamen plerumque ex loco, vel ordine concupiscentis differnitur: quia scilicet sic hanc in sacro ordine studiosa concupiscentia, sicut illum adulterii inquinat culpa. In personis tamen non dissimilibus idem luxuria distinguitur reatus, in quibus fornicationis culpa, quia ab adulterii reatu discernitur, prædicatoris egregii lingua testatur, quæ inter cetera asserit, dicens: *N equis fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, regnum Dei possidebunt.* Quod enim disuncte reatu sententia subdit, quā valde à se diffideat ostendit. Per hoc ergo quod dicitur: [*Si deceptum est cor meum super muliere;*] neque cogitasse vir sanctus de fornicationis macula demonstratur. Per hoc autem quod subiicit: [*Et si ad os illum inimici mei infideli sunt;*] patenter innotescit, quod à reatu adulterii liber fuit. Sed ad hæc fortasse aliquis dicat: Quid de se mirum sanctus vir asserit, si non solum ab adulterii crimine, verum etiam à fornicationis inquisitione se liberum servavit? Hæc autem parvipendimus, si virtutem ejus tempora minimè pensamus. Necdum enim ad restrictionem carnis, revelatae gratiae distictior censura processerat, quæ non solum corporis, sed & cordis lasciviam reprehendit. Necdum multorum continentium castitatis bona imitanda prodierant, & tamen beatus Job exempla munditiae, quæ non acceperat, tradebat. A multis autem nunc etiam post prohibitionem Dei, carnis immunditia perpetratur. Hinc ergo colligendum est, cum quanta culpa nunc etiam post præceptum in gravibus delinquitur, cùm tanta laude ante à gravibus abstinebatur. Qui si hoc um-

S. Greg. Tom. I.

A quam fecerit, eamdem culpam verti sibi expedit in pœnam, dicens: [*Scotum alterius sit uxor mea, & super illam incurvenitur alii.*] Et quia plerumque hoc, quod faciendo non perpendiculariter, quām grave sit, patiendo pensamus; ejusdem vim facinoris quod se pati, si reus sit, debere denunciat, exprimendo manifestat, dicens: [*Hoc enim nefas est, & iniurias maxima: ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.*] Hoc inter peccatum distat & crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen est. Et in hac vita multi sine criminе, nullus verò esse sine peccatis valet. Unde & prædictor sanctus, cùm virum dignum gratia sacerdotali describeret, nequaquam dixit: *Si quis sine peccato sed, Si quis sine criminе Tit. 1. b.*

B est. *Quis verò esse sine peccato valeat, cum Joannes dicat: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipos seducimus, & veritas in nobis non est.* In qua videlicet peccatorum & criminum distinctione pensandum est, quia nonnulla peccata animam polluent, quæ crimina extinguunt. Unde beatus Job crimen luxuriæ definiens, ait: *Ignis est usque ad perditionem devorans:*] quia nimis reatus hujus facinoris non solum usque ad inquisitionem maculat, sed usque ad perditionem vorat. Et quia quamlibet alia fuerint bona opera, si luxuriæ scelus non abluit, immenitus hujus criminis obruuntur, fecutus adjunxit: [*Et omnia eradicans genimina.*] Genimina quippe sunt animæ, operationes bonæ. Cui tamen si perverso ordine caro dominatur, igne luxuria omnia bene prolatæ concremantur. Nulla quippe ante omnipotentis Dei oculos justitia pietatisque sunt opera, quæ corruptionis contagio monstrantur immunda. Quid enim prodest, si piè nequaquam necessitatibus compatitur proximi, quando impie in semetipso destruit habitationem Dei? Si ergo per cordis munditiam, libidinis flamma non extinguitur, incallitum qualibet virtutes oriuntur, sicut per Moysen dicitur: *Ignis exarbitur in ira mea, & ardebit Deut. 32. usque ad inferos deorsum: comedet terram, & nascentia eius.* Ignis quippe terram atque ejus nascentia comedit, cùm libido carnem, atque per hanc omnia bene acta consumit. Nam quidquid prodit ex fruge rectitudinis, hoc nimis concremat flamma corruptionis. Dicat ergo: [*Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina:*] quia si corruptionis malo non resistitur, & illa procul-dubio pereunt, quæ bona videbantur. Sed solent nonnullos ad humilitatem virtutis sternere, atque ad tumorem mentis virtutes elevare. Querendum ergo nobis est, si beatus Job in tanta castitatis munditia etiam humilius fuit? Sed sanctus vir cùm alta virtutum teneat, quām de se humilia sentiat, repente appetit, cùm subiungit: [*Si contempti judicium subire cum servo meo & ancilla mea, cùm disceptarent adversum me.*] Qui enim judicari cum servis ancillisque non renuit, liquido indicat quod contra nullum unquam proximum apud se tumidus fuit. Inter hæc autem liber intueri, vitam suam in omnibus quanta vir sanctus discretione custodivit. Non enim longè superius dixit: *Videbant me juvenes, & ab 1ob. 29. E sconcebantur, & senes assurgentib; stabant: principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo: vocem suam cobabant duces, & lingua eorum gutturi suo adhæbant.* Nunc vero ait.

Quod sublimibus viris multum profit ad custodiā militaris confiderat aquilatæ humanae conditionis: & quod hono à principio non hominibus, sed animalibus predatus est.

C A P U T . X.

*S*i contempti judicium subire cum servo meo & ancilla mea, cùm disceptarent adversum me.) Quis dignè considerare valeat hujus viri tam sublimia vir-

R 1

tum moderamina? In quo tanta est auctoritas regiminis, ut ad silentium restringantur duces: tanta humilitas cordis, ut ex aequo ad judicium venire permittantur ancillæ. Ecce appetet nîro modo in potestate principibus posterior, in certamine servis aequalis: in cœtu principum memor regiminis, in certamine famulorum memor conditionis. Se quippe sub vero domino famulum conspicit, ideoque cordis altitude se super famulos non extollit. Unde & protinus subdit: [*Quid enim faciam cum surrexerit ad judicandum Deus?* & *cum quererit, quid respondebo illi?*] Qui venturum judicem cogitat, indefiniter quotidian rationum fumarum in melius caufas parat: quia dum æternum Dominum tremore cordis intuetur, iura temporalis dominii super subjectos moderari compellitur. Perpendit enim nil esse quod temporaliter praefit ceteris, quando illi ad reddendam rationem subest, qui sine fine dominatur. Sæpe namque transitoria potestas animum per abrupta elationis rapit. Et quia eò quisque extollitur, quod se esse super alios videt, illum oportet qui super eò est, semper aspiciat, ut ejus metu qui supra omnia est, crescentem intrinsecus animi tumorem premat. Intueatur enim qui sub ipso sint, sed consideret sub quo ipse sit: ut ex consideratione veri domini, decrescat tumor false dominationis. Unde beatus Job, quia ejus judicium qui super omnia est, metuit, hâc ad temporale judicium famulis aequalis venit, dicens: [*Si contempti judicium subre cum servo meo & ancilla mea, cum disciperent adversum me. Quid enim faciam cum surrexerit ad judicandum Deus?* & *cum quererit, quid respondebo illi?*] Qui ut semper cor in humilitate deprimit, nequam in eisdem famulis conspicit, quod sibi status est dispar, sed quod natura communis. Unde etiam subdit: [*Nunquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est, & formavit in vulva unius?*] Potentibus viris magna est virtus humilitatis, considerata aequalitas conditionis. Omnes namque homines natura aequales sumus; sed accessit dispensatorio ordine, ut quibusdam prælati videamus. Si igitur hoc à mente deprimimus quod temporaliter accessit, invenimus citius quod naturaliter sumus. Plerumque enim se animo accepta potestas obicit, cumque tu midis cogitationibus fallit. Manu ergo humilima considerationis deprimendum est tumor elationis. Si enim apud semetipsam mens descendit de vertice culminis, citius planitiem inventat naturalis aequalitatis. Nam, ut prefati sumus, omnes natura aequales genuit; sed variante meritorum ordine, alios alii dispensatio occulta postponit. Ipsa autem diversitas, quæ accessit ex virtute, rectè est divisionis judiciorum ordinata: ut quia omnis homo iter vite aequo non graditur, alter ab altero regatur. Sancti autem viri cùm præsumt, non in se potestatem ordinis, sed aequalitatem conditionis attendunt: nec præfisi gaudent hominibus, sed prodeesse. Scient enim quod antiqui patres nostri, non tam reges hominum, quam pastores pecorum fuisse memorantur. Et cùm Noe Dominus filiusque ejus diceret: *Crescite & multiplicamini & implete terram,* subdit: *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terra.* Non enim ait: Sit super homines, qui futuri sunt; sed, *Sit super cuncta animalia terra.* Homo quippe animalibus irrationalibus, non autem ceteris hominibus natura prælatus est: & idcirco ei dicitur, ut ab animalibus, & non ab homine timeatur: quia contra naturam superbire est, ab aequali velle timeri, quamvis plerumque à subditis etiam sancti viri timeri appetunt, sed quando ab eisdem subditis Deum minimè timeri comprehendunt; vi humana saltē formidine peccare meruant, qui divina judicia non formidant. Nequaque ergo præpositi ex hoc quæsito timore superbunt, in quo non suam gloriam, sed subditorum justitiam querunt. In eo enī,

A quod metum sibi à perversè viventibus exigunt, quasi non hominibus, sed brutis animalibus dominantur: quia videlicet ex qua parte bestiales sunt subditæ, ex ea etiam debent formidini jacere substrati. Cùm verò deest vitium quod corrigitur, non de excellentia potestatis, sed de aequalitate conditionis gaudent: & non solum ab eis metui, sed etiam plus quam necesse est honorari refugiant. Neque enim lewe se perpeti damnum humilitatis credunt, si ab eis pro merito fortasse ordinis pluris astimenter. Hinc est enim quod primus pastor Ecclesiæ, cùm adoraret se Cornelio, super se sibi honorem videret oblatum, ad aequalitatem conditionis sua cœtiū recurrit, dicens: *Surge, & ipse ego homo sum.* Quis enim neficiat, quod conditoris suo homo debet, & non homini prosterne? Quia ergo humiliari sibi plus quam debuit proximum vidit, ne ultra humanitatis metas mens intumesceret, esse se hominem recognovit, quatenus illati sibi honoris elationem frangeret ex considerata aequalitate conditionis. Hinc à Joanne Angelus adoratus, creaturam se esse cognovit, dicens: *Vide ne feceris, conservans Apoc. 19. tuus sum, & fratrum tuorum.* Hinc Propheta, cùm b. 22. ad videnda sublimia raptus, filius hominis vocatur: ut dactus ad cœlestia, hominem se esse meminerit. *Ezech. 3. 4.* Ac si cum divina vox verbis apertioribus admoneat, dicens: *Memento quid sis, ne de his ad quæ raperis, extollaris, sed altitudinem revelationis tempora memoriam conditionis.* Ex eo ergo colligendum est, quæ communis natura memoriam in corde deprimi debeat terrena potestatis timor, si ex humanitatis vocabulo agitur, ne cogitationis elatio ex secretis cœlestibus generetur. Cujus videlicet humanitatis bene beatus Job semper recordationem tenuit, qui ait: [*Nunquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est, & formavit in vulva unius?*] Ac si aperte dicat: Cur non aquæ debeamus in cœsilibet negotiis judicio discuti, qui per conditoris potentiam sumus aequaliter facti? Sed quia castitatis ejus atque humilitatis acta cognovimus, nunc liberalitatis opera cognoscamus. Sequitur.

Quod hi qui charitatem Dei habent, secundum facultatis sue mensuram pauperibus spiritu, qui non ex desiderio, sed ex necessitate postulant, nihil negare debent.

C A P U T XI.

*S*ine negavi quod volebant pauperibus, & oculos vi-
due expectare feci.] Per hæc dicta vir sanctus ostenditur, non solum ad inopiam pauperibus, sed etiam ad habendi desiderium deservire. Sed quid si ipsa vellent pauperes, quæ fortassis accipere non expedit: An quia in Scriptura sacra dici pauperes humiles solent, ea sola astimandi sunt accipere pauperes, quæ humiles pertinet? Et proculdubio oportet, ut incunctanter derut quidquid cum vera humilitate requiritur; id est, quod non ex desiderio, sed ex necessitate postulatur. Nam valde superbire est, extra metas inopie aliiquid desiderare. Unde & superbe potentibus dicitur: *Petitis & non accipitis, eo quod male pietatis.* Quia ergo illi sunt veraciter pauperes, qui inflati per superbiam spiritum non sunt, quos aperitè Veritas exprimit, cùm dicit: *Beati pauperes spiritu;* rectè nunc per sanctum virum dicitur: [*Si negavi quod volebant pauperibus:*] quoniam qui ea volunt, quæ profecto liquet quod eis non expedit, eo ipso quod superbiam abundant spiritu, jam pauperes non sunt. Sed beatus Job dum pauperes humiles appellat, quidquid ab eo accipere pauper voluit, non negavit: quia veraciter quisque pauper voluit, non negavit: quia veraciter quisque humilis quod non potuit obtinere, nec voluit. Sed cùm largitatem mentis sua indicat, quia ad votum se pauperibus concurrisse manifestat, necesse est ut queramus, ne lumen misericordiae, dationis tar-

Prov. 3. dicare fuscaverit. Unde subiungit: [*Et oculos vidua A expectare feci.*] Potentem se viduam expectare noluit, ut non solum ex munere, sed etiam ex celeritate munera, bonorum operum merita augeret. Unde alius scriptum est: *Ne dicas amico tuo, vade & revertere, & eas dabo tibi: cum statim possis dare.* Sed nonnulli solent exterius multa largiri, communis autem vita gratiam repellentes, habere pauperes socios in domestica conversatione refugunt. Unde beatus Job, ut non solum se insinuat exterius multa prabuissit, sed apud se quosque inopes etiam in domestica conversatione recepisse, protinus adjungit.

Quod servi Dei cum pupillis & viduis subfida temporalia, & mensam debeat habere communem.

C A P U T X I .

b. **S**i comedи buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea.] Scilicet pietatis se prejudicium facere aestimans, si solus comedeter quod Dominus omnium communiter creasset. Quia profecto communio conversationis esse cum talibus intra domestica parietes debet, ex quibus aeternae proficiant merita retributionis. Unde sanctus vir non querilibet, sed ad manducandum, socium pupillum se habuisse perhibet. Sed tanta haec pietatis viscera utrum a semet ipso habuerit, an conditoris sui gratia sit consecutus, innoscit. Sequitur.

Quod Sancti non sibi, sed conditori suo tribuant: si quid boni habeant.

C A P U T X I I .

Qvia ab infantia mea crevit mecum miseratione, & de utero matris mea e gressa est mecum.] Miseratione etenim eti ejus fuerit arbitrii, ut cum ipso proficeret; liquet tamen quia ejus arbitrii non fuit, ut cum ipso de utero exiret. Constat ergo, quia sua virtuti nil tribuit, qui profecto testatur, quia hoc ex conditoris munere accepit. Bonum igitur, quod a conditore habuisse se intimat, liquet proculdubio, quia ad laudem conditoris narrat, indicans ab ipso se accepisse ut pius esset, a quo acceptit ut esset: quia sicut suo opere in utero conditus non fuit, ita nec sua virtute ab utero pius fuit. Sed pensandum nobis est, quod affirmit: [*Crevit mecum.*] Nonnulli enim quo ad aetatem crescunt, ab innocentia decrecent. Electis vero cum foris aetas corporis, intus, si dici licet, crescit aetas virtutis. Sequitur.

Quod opera misericordia cum benignitate & hilaritate debeat fieri, quia qui fau elationis aliiquid dat, amplius ex contemptu culpat, quam ex munere meretur mercedem.

C A P U T X I V .

Si despixi praterem, eo quod non habuerit indu-
mentum, & absque operimento pauperem: si non be-
nedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus orium
mearum calefactus es.] Quod pauperem non despe-
xit, virtutem humilitatis exhibuit: quod autem ope-
rari, pietatis. Duæ quippe istæ virtutes ita sibimet
esse connexæ debent, ut vicario semper opere ful-
ciantur; quatenus nec humilitas, cum veneratur
proximum, largitatem gratiam deserat, nec pietas cum
largitur, intumeat. Erga indigentiam itaque pro-
ximi humilitatis pietas fulciat, humilitas pietatem:
ut cum indigentem rebus necessariis naturæ tuæ
confortem videris, nec per impietatem definias tege-
re, nec per superbia negligas venerari, quem tegis.
Nam sunt nonnulli, qui mox ut ab egenis fratribus
fuerint necessaria postulati, post dona largituri, in
eos prius contumeliosa jaculantur. Qui eti rebus
ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen gra-
tiam humilitatis perdunt; ita ut plerumque videatur,

S. Greg. Tom. I.

quia illatae jam injuria satisfactionem solvunt, cum post contumelias dona largiuntur. Nec magni est operis quod postulata tribuant, quia ipso dationis suæ munere vix cumdem excessum sermonis tegunt. Quibus bene per Ecclesiasticum librum dicitur: *Omnis dato non des tristitia verbi mali.* Et rursus: *Ad Eccl. 18. de verbum super datum bonum, & utraque cum homine ibid.*

B justificato: videlicet, ut datum exhiberi debeat per pietatem, & bonum verbum tribui per humilitatem. At contraria, alii egenos fratres non student rebus fulcire cum possint, sed blandis tantum sermonibus fovere. Quos vehementer Jacobi praedicatio sancta reprehendit, dicens: *Si autem frater aut soror nudi 1. Iacob. 2. sunt, & indigent vestitu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Itere in pace, calefacimini & saturamini, non dederitis autem eis que necessaria sunt corpori, quid vobis proderit?* Quos Joannes quoque Apostolus admonet, dicens: *Filioli mei, non diligamus verbo, ne lingua, sed opere & veritate.* Dilectio namque nostra semper exhibenda est & veneratio sermonis, & ministerio largitatis. Multum vero ad edo-
1. Ioann. 3.
mandam dantis superbiam valet, si cum terrena tri-
buit, verba sollicitate magistri celestis penset, qui ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum Lnc. 16. defeceritis, recipiant vos in eterna tabernacula.* Si b
enim eorum amicitias aeterna tabernacula acquirimus, dantes proculdubio pensare debemus, quia patronis portius munera offerimus, quam egenis do-
na largiuimus. Hinc per Paulum dicitur: *Vestra abunda-
tia illorum inopiam suppleat, & ut illorum abunda-
tia vestra inopia sit supplementum.* Ut videlicet
sollicitate perpendamus, quia & eos quos nunc ino-
pes cernimus, abundantes quandoque videbimus:
& qui abundantes aspicimus, si largiri negligimus,
quandoque inopes erimus. Qui itaque nunc tempo-
rale sublidium pauperi tribuit, ab eo postmodum
perpetua recepturus, ut ita dicam, quasi ad frugem
terram excolit, que quod acceperit, uberioris reddit.
Restat ergo, ut numquam elatio surgat ex munere,
quando videlicet dives ex eo quod pauperi tribuit,
agit ut in perpetuum pauper non sit. Beatus igitur
Job, ut diligenter ostenderet, humilitas atque mis-
ericordia quanta in eo fuerit consideratione sociata,
ait: (*Si despixi praterem, eo quod non habuerit
indumentum, & absque operimento pauperem: si non
benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus orium
mearum calefactus es.*) Ac si aperte diceret: In amo-
re proximi uno eodemque ordine & superbie virtutum,
& impietatis premens, praterem quempiam &
humiliter aspiciens non despixi, & misericorditer
calefecit. Quisquis enim super cum, cui aliquid tri-
buit, fastu se elationis extollit, majorem culpam in-
trinsecus superbiendo peragit, quam extrinsecus
largiendo mercedem: fitque ipse bonis interioribus nudus, cum nudum despicit vestiens; & eoque agit, ut se ipso deterior fiat, quo se indigenti proximo meliore putat. Minus quippe inops est, qui vestem non habet, quam qui humiliatem. Unde ne-
cessitatem est, ut cum naturæ nostræ confortes exteriora non habere conspicimus, quam multa nobis deficit bona interiora pensamus; quatenus se super inopes cogitatio nostra non eleverit, cum solerter videt, quia nos tanto verius, quanto & interius indigentes sumus. Et quia sunt nonnulli, qui pietatis sua viscera tendere usque ad incognitos nesciunt, sed solis, quos per assiduitatem notitia didicerint, miserentur: apud quos nimis plus familiaritas, quam natura valeat, dum quibusdam necessaria non quia homines, sed quia noti sunt, largiuntur; bene nunc per beatum Job dicitur: (*Si despixi praterem, eo quod non
habuerit indumentum.*) Ignoto enim proximo miser-
tum se indicat, quem praterem vocat: quia vi-
delicet apud piam mentem plus natura valeat, quam notitia. Nam & unusquisque qui indiget, eo ipso quo homo est, ei jam incognitus non est. Sequitur.

R. iij

Quod Sancti in propriis causis ius habentes cum inferioribus personis, gravari se etiam in iustis aliquando patiuntur.

CAPUT XV.

*S*i levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiori.] Mos apud veteres fuit, ut ad portam seniores federent, qui certarium iugium judicia examinatione discernerent, quatenus urbem, in qua concorditer oportet vivere, discordes minime intrarent. Unde & per Prophetam Dominus dicit: *Constituite in porta iudicium.* Amos 5. Hoc itaque loco quid porte nomine exprimitur, nisi id quod agebatur in porta? Sicut enim pugnare castra dicimus, pro eo quod pugnatur ex castris; ita iudicium, quod in porta agi consueverat, porta nominatur. In porta ergo se superiore videt, qui se melioris parts esse in iudicio, æquitatis merito conspicit. Beatus igitur Job, quia nec tunc contra pupillum manum exercuit, cum se etiam per iustitiae meritum potentiore vidit, nobis timoris regulam inservians, dicit: *Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiori.*) Ac si patenter dicat: Neque tunc utilitas mea negotia virtute contra pupillum exequi volui, quando me in iudicio etiam ex iustitia potiorem vidi. Sancti etenim viri quando cum personis minoribus contentionum negotia subeunt, dum gravare vel in minimis timent, ipsi contra iustitiam gravari nequam refugiant. Sciant quippe, quia omnis humana iustitia iustitia esse deprehenditur, si divinitus districte judicetur. Unde hoc quod sibi competit, carent vehementer exigere, ne eorum actus supernam reddituinem contingat subtiliter examinare. Sed ut inventari iusti in divino examine valeant, plerumque apud humana iudicia gravari se & iustis patiuntur. Beatus autem Job vita sua celsitudinem narrans, & multa sunt & mira quae dixit. Sed quia plerumque humana mens renuit bona credere, quæ nefici operari; maledicti sibi sententiam protinus subiecierunt, si qua horum quæ dixerat, opere non implevit, dicens.

Quod bonum concordia per patientiam conservetur, sine qua socialis vita non perseverat: & quod quando per discordiam homines dissident quasi membra à corpore cadant.

CAPUT XVI.

*H*umerus meus à junctura sua cadat, & brachium meum cum ossibus suis conteratur.) Quia operatio corpora per humerum ac brachium agitur, bona quæ ore protulit, si opere non implevit, cadere sibi humerum, & conteri brachium exoptat. Ac si aperè dicat: Si ea quæ dixi, operari renui, ipsum quod mihi ad operandum datum est corporis membrum perdam, ut videlicet cadat à corpore, quod exercere nolui ad utilitatem. Si verò hæc maledicti sententia ad spiritualem est intelligentiam referenda, liquet profectò quid brachium corpori per humerum jungitur. Et sicut per brachium bona operatio, ita per humerum socialis vita conjunctio designatur. Unde Propheta quoque intuens sanctos universalis Ecclesiæ populos Deo concorditer servituros, ait: *Et servient ei in humero uno.* In eo ergo quod dicit: *(Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiori:*) miram virtutem patientia servasse se afferit, qui gravari se à personis minimis, nec contra hos quod sibi iustis competere poterat, declinavit. Quod tamen si minimè fecerit, adjungit: *(Humerus meus à junctura sua cadat.)* Quia nimur quia patientiam servare contemnit, socialem vitam citius per impatientiam deserit. A junctura etenim humerus cadit, cum adversitatis

A aliquid ferre animus non valens, fraternam concordiam relinquit: & quasi membrum separatur à corpore, cùm is qui operari bona poterat, à bonorum omnium absconditur universitate. Neque enim umquam servari concordia nisi per solam patientiam valet. Crebro namque in humana actione nascitur, unde mentes hominum vicissim à sua unitate ac dilectione separantur: & nisi ad adversa toleranda se animus prepararet, proculdubio humerus corpori Galat. 5. non inheret. Hinc etenim Paulus ait: *In vicem one- d ra vestra portate, & sic adimplibitis legem Christi.* *Luc. 21. 16.* Hinc per semetipsam Veritas dicit: *In patientia ve- b stra possidebitis animas vestras.* Rectè autem, humero cadente, subjungitur: *[E]t brachium meum cum ossibus suis conteratur:*) quia nimur cuncta nostra operatio, cùm quibuslibet videatur esse fulta virtutibus, solvitur, nisi per charitatis vinculum patientia conservetur. Sua enim bona * pergit operari, qui perdit aliena mala renuit perpeti. Fervore quippe iracundi opera. spiritus laetus quisque à dilectione reflit, & cum se exterioris gravari non tolerat, intus se per amissum lumen charitatis obscurat; nec videt jam quid tendat pedem boni operis, qui oculum perdidit dilectionis. Sed sancti viri humerus à junctura sua non cadit: quia videlicet ejus dilectio à socialis vita cordia per impatientiam non recedit. Ejusque brachium minimè frangitur: quia omnis ejus operatio in conjunctione humeri, id est, in charitatis connexione custoditur. Sed qua consideratione bona hæc tanta egerit, atque à malis omnibus se se abstineat, adjungit dicens.

Quantum Sancti, & unde, presentium tribulationum fluctus tanim metuant.

CAPUT XVII.

*S*Emper enim quasi tumentes super me fluctus timus Deum, pondus ejus ferre non possumus.] A pavore tan- te similitudinis pensemus, si possumus, quanta in sancto viro fuerit vis timoris. Fluctus etenim cùm tumentes desuper imminent, cumque eam quam deferrunt, mortem minantur, nulla tunc navigantibus rerum cura temporalium, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur: ea ipsa quoque ex navi proieciunt, pro quibus longa navigia sumperunt; cunctæ res in despectum mentis veniunt, amore vivendi. Quasi ergo tumentes super se fluctus Deum metuit, qui dum veram vitam desiderat, omnia despiciat, quæ hic possidens portat. Nam velut tempestate deprehensi pondus navis abiicimus, quando ab oppressa mente desideria terrena removemus. Fitque ut sublevata navis enatet, quæ mergebatur onerata: quia nimur cura, quæ in hac vita deprimit, mentem in profundum trahunt. Quæ videlicet mens tantò altius inter tentationum fluctus attollitur, tantò sollicitus ab humus facili cogitatione vacuatur. Est verò & aliud, quod de maris concussione debeat solerter intueri. Tempestas quippe cùm oritur, prius lenes undæ, & postmodum volumina majora concitantur: ad extremum fluctus se in alta erigunt, & nava gantes quosque ipsa sua altitudine subvertunt. Sic nimur extrema illa properat, quæ universum mundum subruat tempestas animarum. Nunc enim bellis & cladibus quasi quibusdam undis sua nobis exordia ostendit, & quantò ad finem quotidie propinquiores efficiuntur, tantò graviora irruere tribulationum volumina videmus. Ad extremum verò commotis omnibus elementis, * superveniens iudex finem omnium apparet; quia vide- judec- tunc tempestas fluctus in cælum levat. Vn- veniens de & dicitur: *Aduic modicum, & ego movebo* *2 Es 2. 2.* *non solum terram, sed etiam cælum.* Quam scilicet tempestatem quia sancti viri vigilanter aspirant quasi tumentes super se quotidie fluctus

expavescunt, atque ex his tribulationibus quæ mundum ferunt, præudent quæ sequantur. Bene autem subditur: [*Et pondus ejus ferre non potui;*] quoniam qui extremi judicij adventum intentamente considerat, profecto videt, quia tantus pavore imminet, quantum non solum tunc videre, sed se etiam nunc prævidere pertimescat. Consideratione namque tanti terroris metu animus palpit, & intentionis sua oculos declinans, intueri quod prævideret, recusat. Bene ergo dicitur: [*Et pondus ejus ferre non potui;*] quia cum superna majestatis vim ad judicium venientis, terroremque tanti examinis considerando animus conatur exquirere, mox ad semetipsum refugens, sc̄e expavescit invenisse. Sed inter hæc pensandum est, quia beatus Job ista de se loquitur laudatus & flagellatus. Si igitur saltem

A ad meritorum profectum ita percussus est qui sic timuit, quomodo feriendus est qui contemnit? Quomodo depressura sunt Dei iudicia eos qui se elevant, si & illos ad tempus depriment, qui haec semper in humilitate formidant? Quomodo pondus Dei poterit ferre qui despicit, si hoc & ille in verbere pertulit, qui per timorem prævidit? Unde summopere formidandum nobis est illud tantæ distinctionis examen. Constat autem, quia in hac vita cum percūtit, si percussionem correccio sequitur, disciplina patris est, non ira iudicis: amor corrigitur est, non iudicatio punientis. Ex ipso ergo præfenti verbere iudicia æterna penanda sunt. Hunc etenim perpendere summopere debemus, quomodo feraur illa quæ reprobatur, si ferri modo vix valet ejus ira quæ purgat.

S A N C T I G R E G O R I I M O R A L I S E X P O S I T I O N I S I N B E A T U M I O B L I B E R V I G E S I M V S S E C V N D V S.

C A P U T P R I M U M.



phil. 3. **U**O D antè sèpe jam dictum est, hoc me crebrè repetere onerosum non est, quia & prædictor egregius dicit: *Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.* Beatus Job idcirco gestas virtutes narrat, quia inter increpationis verba, & percussionis verbera deprehensus, à spei fiducia mentem suam labefactari considerat. Multa quippe & egisse se mala ab increpationibus amicis audierat, & ne verbis pariter & flagellis pressa in desperationem mens corruat, hanc per suarum virtutum memoriam ad spem reformat; ut nequaquam se debeat in calamitate dejicere, quæ tranquillitas sua tempore se meminerat tam sublimia egisse. Quia igitur intentionis ejus causam diximus, restat ut auditas virtutes illius subtiliter perpendamus. Hoc autem primum sciendum est, quia quisquis virtute aliqua pollere creditur, tunc veraciter pollet, cùm virtus ex aliqua parte non subjet. Nam si ex alio virtus subditur, nec hoc est solidum, ubi stare putabatur. Unaquæque enim virtus tantò minor est, quanto desunt ceteræ. Nam sèpe quosdam pudicos quidem videlicet nos contigit, sed non humiles: quosdam verò quasi humiles, sed non misericordes: quosdam quasi misericordes, sed nequaquam justos: quosdam verò quasi justos, sed in se potius quam in Domino confidentes. Et certum est, quia nec castitas in ejus corde vera est, cui humilitas deest: quippe quia superbia se intrinsecus corrupte forniciatur, si semetipsum diligens, à divino recessit amore. Nec humilitas vera est, cui misericordia juncta non est: quia nec debet humilitas dici, quæ ad compassionem fraternali miseria nescit inclinari. Nec misericordia vera est, quæ à restituitione justitia existit aliena: quia quæ potest per injustitiam pollui, nescit proculdubio submeti ipsi misericordi. Nec justitia vera est, quæ fiduciam suam non in conditori omnium, sed in se fortfasse, aut in rebus conditoris ponit: quia dum à creatore spem subtrahit, ipse sibi principalis justitia ordinem pervertit. Una itaque virtus sine aliis, aut omnino nulla est, aut imperfecta. Ut enim, sicut quibusdam vixum est, de primis quatuor virtutibus lo-

B quar, prudenter, temperantia, fortitudine, atque justitia; tanto perfectæ sunt singulæ, quanto vicissim submetit conjunctæ. Disjunctæ autem, perfectæ esse nequaquam posunt: quia nec prudenter vera est, quæ justa, temperans, & fortis non est: nec perfecta temperantia, quæ fortis, justa, & prudens non est: nec fortitudo integra, quæ prudens, temperans, & justa non est: nec vera justitia, quæ prudens, fortis, & temperans non est. Beatus itaque Job, quid non unam sine alia, sed conjunctas in se virtutes habuerit, enumerando singulas innoteat. Nam bona pudicitia insinuans, dicit: [*Si deceperum est cor meum super muliere.*] Atque ut eidem pudicitia demonstraret humilitatis gratiam nullatenus defuisse, post cetera subiungit: [*Si contempti subire iudicium cum seruo meo.*] Qui ut humilitati sua ostenderet misericordiam fuisse conjunctam, paulo post dicit: [*Si negavi quod volebant pauperibus.*] Atque ut misericordiam suam ostenderet de justitia radice descendere, paulo superiorius præmisit, dicens: [*Si ambulavi in vanitate, & festinavit in dolo pes meus.*] Atque ut monstraret, quid fieret ad cuncta pavidis, & ad omnia circumspectus, inferius asserit, dicens: [*Semper enim quasi tumentes super me flatus timui Dominum.*] Qui scilicet in prosperis positus, atque abundantia rerum fulitus, si spem aut in suis actibus, aut in circumfluentibus rebus ponere, profecto justus non esset. Sed quando iste vir sanctus in se spem posuit, qui aperie dicit: *Ecce non est auxilium mihi in me?*

Iob. 6. b

Quod non in difluentibus divitiis, sed in Deo, qui stat in aeternum, confidendum sit.

C A P U T I I.

QUIRD ergo hunc supereft, nisi ut ipsas quoque divitiæ qua mente possederit innoteat? Ait enim: [*Si putavi aurum robur meum, & obryzo dixi, fiduciamea.*] Obryzum dicimus obrude aurum. Sanctus ergo vir nec aurum robur, nec sibi esse obryzum, id est, rudis auri molem fiduciam crederit: quia spem atque delectationem suam in solius gratia conditoris figens, neque de quantitate auri,

Rr iii